

1978

M

487



90

81

B. n. 252.

Faint, illegible handwriting or stamp in the center of the page.



RAPTUM DIEI

Sive

Silesiaci SOLIS festinatum occasum

Cum

ILLUSTRISSIMUS ac CELSISSIMUS
PRINCEPS ET DOMINUS

DN. GEORGIUS
WILHELMUS,

DUX IN SILESIA LIGNICENSIS BREGEN-
SIS ET WOLAVIENSIS

Piasti Polonorum Regis

Octavus supra vigesimum nepos

ante meridiem vitæ

Lethalibus umbris esset immerfus
ex animo deplorans

Magnis Manibus

Supremum hocce munus obtulit

ELIAS THOMÆ.

WRATISLAVIÆ,

In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia.

expressebat GODEFRIDUS GRÜNBERG.

AK


SERENISSIMÆ CELSISSIMÆQVE
PRINCIPI ac DOMINÆ
DN. LOVYSÆ,
DUCI IN SILESIA, LIGNICENSI BREGENSI
ET WOLAVIENSI VIDUÆ NATÆ PRINCIPI
ANHALTINÆ COMITI ASCANIÆ, DOMINÆ
SERVESTÆ ET BEREN-
BURGI,
DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ.



Um ferali hoc tristissimoque tempo-
re, funestissimas certatim apud Te
deponant voces, DOMINA, qui mœ-
rorem Tibi collugendo demere laborant: exi-
stimavi ad me pertinere, ut quocunque Sym-
bolo testatum redderem, quanta pietate Prin-
cipem coluerim, quem adnatâ suâ purpurâ
splendentem, in exemplum posteris depinxi.
Satis præclarè mecum opinabor actum, si de-
votæ mentis certum characterem, ita coram
Te exponere licuerit, ut quodammodo intelli-
gam, tam Magni Filii imaginem, quanquam
alio, quam Apelléo radio effigiatam, non peni-
nitus displicuisse. Scrib. Vrat. 24. Jan. A.C. 1676.

CELSITUDINIS TUÆ

Servus humilimus
ELIAS THOMÆ.



Accerbum fu nus intimo,
Auroræ digitis roseis sublatus
ORION.

Nihil funestius, nihil ad exulcerationem doloris amarius excogitari potest, hac tristi intimatione : Exequias Principi vestro, ô cives! efferetur hodie **GEORGIUS WILHELMUS**. Quod si enim unquam Lignicensi, Bregensi & Wola- viensi Ducatibus lugendi justa causa obtigit, vel maximè nunc factum esse autumo, cum summus rerum arbiter, & moderator fati, quem resuscitandæ Pias- tæ profapiæ, Patriæque nostræ illustrandæ, incomparabilem Ducem donaverat, atque insignibus adeò donis instruxerat, ut dignus admodum extiterit, qui ad omne fastigii sui decus adscenderet, & quam diutissimè mortalibus adesset; vix inchoato operum magnorum gloriæque cursu, ante hos ipsos menses tres mortalium exemit cœtibus, Pias- ti Regis germen ultimum, **GEORGIUM WILHELMUM**. Quem vivere, quem regnare, quem perpetua felicitate coronari optavistis, is properè à morte triumphatus est. Ite itaque fideles subditi, funestate lamentabili ploratu, plausus, nuper editos, piasque acclamationes : & qui vestræ prosperitatis magnitudinem vix poteratis capere, alia reverentiæ monumenta extruite, atque, quas Junoni destinastis faces, in ferales Libitinæ tædas immutate. Nemo, cui cor sapit, dubitare potest, opus esse solatio Celsissimæ Parenti, quippe quæ nobilius quid filio : Opus esse mæroris lenimine Celsissimæ Sorori, quæ charius quid fratre : Opus esse Confirmatione Mini-
A 2 stris,

stris, atque omnibus in universum subditis, qui majus quiddam Principe Patreque amiserunt. Ea enim est ingentium bonorum indoles, ut, quo dulcius, dum possidentur, recreant, hoc amissa postmodum crudelius affligant.

Quanquam autem ingenti isti tenerrimoque dolori libenter admodum occurrerem; intelligo tamen, quàm rectè quamque prudenter faciam, si defungar imbecillitatis meæ ingenua confessione, atque illud candidè profitear, unum me id agere, ut materia magnarum cogitationum humano generi objiciatur, si fortè aliquando alii animo assequantur, quod ego nequeo attingere, & illud dignè explicent. Signavi quidem impetum devotæ pietatis stylo, sed tamen illud moneo, esse plus intelligendum, quam à me expressum est, in laude tanti Ducis. Est enim me tacente notum, semper aliquid alieni ingenii culpa deteri, quoties, quæ venerationi exposita sunt, stylus exprimere conatur. Vellem verò Deum fecisse immortalem, ut vivo potius Bregensi Principi, perpetua felicitatis incrementa gratularer, quam laudationem adornarem funebrem. Quid enim lætius accidere potuisset hoc tempore, quam tanti Principis præsentia lætari, qui grata nobis otia facturus sperabatur? quem Cæsareæ mentis interpretem devotè hic præstolabamur. Nunc autem, cum longè diversum ingressus iter, à vivis abiit, mutatis derepentè partibus, in eam suavissimæ voluptatis possessionem, extremus immigravit dolor. Unde, quem Principem, juxta cum omnibus cordatis apprimè mirabamur, eum omninò non vivere, mortè ipsà funestius arbitramur.

Quanquam, cum profunda quoque vulnera tractanda sint, ad doloris exquisiti sedem me converto, ut tanto fidelius ingemiscam, quanto ejusdem sensus exactior futurus est.

Possunt

Possunt autem Illustrissima Incomparabilis WILHELMII incunabula, seriis nos cogitationibus imbuere, neque primi ejus vitæ anni indigni reputandi sunt, quibus perlustrandis parumper immoremur, atque ea etiam parte, qua sibi minor fuit, tantum Principem consideremus. Quod quidem nulla ratione in eam accipi partem volo, quasi mihi in arcto labor sit, ut qui de tali sim dicturus Domino, cujus, in ipso vitæ apparatu, ante usum rerum magnarum extincti, non tam in medium afferri illustria possint facinora, quam destinationes oppidò præclaræ, & qui gloriam erectæ de se expectationis, omninò non excesserit. Versantur omnes in gravissimo errore, quibus usque adeò inania succurrunt: Nihil namque minus mihi, quam argumenti deest copia, quoniam in Sola nostri Principis adolescentia, quicquid in quavis ætate laudandum est, abundè reperitur: placet tamen ad crepundia retrogredi, ut ex matutino Solis illius exortu, totius diei splendorem, & futuræ gloriæ ingentem apparatus facilius dimetiantur posteris, & qua via, quibusque potissimum virtutibus, in fortuna tam excelsa, ad tantam, suorum pariter, atque exterorum excitandam spem grassatus sit, me interprete, quodammodo intelligatur.

Quod si autem verum est, ad decus & laudem pertinere,

longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos:
Si in familiæ celsitudine, & imaginum splendore aliquid veræ nobilitatis, & solidi decoris momentum est positum, uti quidem revera est, GEORGIUS WILHELMUS, Splendidissimis majorum titulis, longè clarissimus extitit. Sive enim Paternam ejus, sive maternam gentem inspicimus, per Poloniæ Reges, per Imperii Romani Silesiæque Principes, ex

B

omnium

omnium antiquissimo sanguine, non interruptâ unquam ferie, raro admodum exemplo originem suam traxit..

Operæ pretium est ire in secula retrò decursa, non ut excutiamus, quicquid annalium fides custodit, sed ut unum hoc non taceamus, **GEORGIUM WILHELMUM**, à **PIASTO**, Regum Polonorum Maximo, fuisse Oriundum..

Post tres familias, quæ in Polonia clavum tenuerant, **Lechi** scilicet, **Craci** & **Popielorum** extinctas, **PIASTEAE**, non absque omine rerum potita est, id quod contigit anno à Redemptore nato, octingentesimo, quadragesimo secundo, quo, post **Popielem**, à divinæ vindictæ Satellitibus peremptum, **PIASTUS**, vir undequaque bonus, cum in magna annonæ caritate, omnes, ad comitia congregatos proceres, privatus quanquam, lautissimè excepisset, nihil minuentibus, inter tot avidas fruentium manus, epulis, ab attonitis isto prodigio Polonis, una omnium voce Princeps est salutatus. Quanquam autem, cum Sceptro potiretur, quartum supra Sexagesimum annum egerit, prodigiosam tamen senectutem, felicissimè piissimeque imperando attigit, vigesimo demum supra centesimum ætatis suæ anno mortalitati valedicens. Hunc **PIASTUM**, postquam ad id fastigii evectus fuerat, ipsa faustitas atque prosperitas stiparunt, quippe.. sub quo, aut nulla, aut exigua admodum bella gesta, latrocinia coercita, & dissidia intestina, autoritate magis, quàm severitate sedata sunt. Quin imò, legitimorum Regum, Optimus Patronus, Deus, tantam.. ipsi circum fuderat autoritatem, ut admirabunda veneratio in subditorum animis enata sit, quæ firmissimum concordia & tranquillitatis publicæ vinculum, haud dubiè dicenda est. Neq; facilè se exhibet in..
omni

omni vetere historia, ut & recentiore Princeps, qui foris res feliciter gesserit, aut prudentius domi administraverit, cujus etiam apud vicinos autoritas tam magna fuerit perstiteritque.

Atque ab isto Pio, Felice, Optimoque Principe.

PIASTO ad usq; noni seculi confinia, ordine vix unquam interrupto, descenderunt, Celsissimi in Silesia Principes, Duces Lignicenses & Bregenses: ita ut meritisimo suo Ter Magnum illum PIASTUM dicamus

Radice illustrem, quæ tot diffusa per annos

Elysiam Augustis frondibus auxit humum.

Nempe Piastei furculi fuerunt SEMOVITVS, fortis: LESCO, mansuetus: SEMOMILAVS, blandus: MIESLAVS I. amicus: BOLESLAVS REX, felix: MIESLAVS II. tranquillus: CASIMIRVS, pugnax: VLADISLAVS I. Justus: BOLESLAVS distortus, acer: VLADISLAVS II. infelix: BOLESLAVS Altus; generosus: HENRICKS Barbatus, Divinus: HENRICVS PIVS, devotus: BOLESLAVS Sævus, audax: HENRICVS Crassus, captivus: BOLESLAVS III. Sapiens: LUDOVICVS I. Mitis: HENRICVS Stigmaticus, bellator: HENRICVS IX. amatus: LUDOVICVS Lubensis: cunctator: JOHANNES, præstans: FRIDERICVS I. optatus: FRIDERICVS II. religiosus: GEORGIUS I. inclytus: JOACHIMVS FRIDERICVS, illustris. JOHANNES CHRISTIANVS, Patriæ pater: CHRISTIANVS, Candidus: GEORGIUS WILHELMVS, incomparabilis, quem fata terris tantum ostenderunt, qui, vel nunquam nasci, vel nunquam mori debuisset.

Et hi universi Principes, tam avitæ nobilitatis decus, indecoris matrimoniis haud unquam corrupere, sed fatorum singulari indulgentia, thori felicitatem, Illustrissimis Suorum conjugum familiis, conspectiorem reddidere. SOPHIA, HENRICI III. Imperatoris filia, VLADISLAVO I. Regi Poloniae & Silesiæ nupserat: CHRISTINA, HENRICI V. filia, VLA-

DISLAO II. Poloniae & Silesiae Regi fuit locata: *MARGARETHAM*, *WENCESLAI* Bohemiae Regis filiam, *BOLESLAVUS*, in Silesia Dux Bregensis in matrimonio habuit: *ELISABETHAM*, *VLADISLAI* *FAGELLONIS*, Regis Poloniae filiam, *FRIDERICVS* dives, in Silesia Dux Lignicensis & Breg: in matrimonium duxerat: *RICHSA*, Comitis Palatini ad Rhenum & Electoris *SIGFRIDI* filia, *MIESLAO II.* Polonorum Regi collocata fuit: *BARBARA*, *JOACHIMI II.* Electoris Brandenburgici filia, ad *GEORGIUM II.* in Silesia Ducem Lign: & Breg: nuptum data: *HEDWIGIS*, Sanctitatis fama clarissima, ex *CAROLI M.* Imperatoris sanguine orta, *BERTHOLDI*, Ducis Meraniae &c. filia, cum *HENRICO BARBATO*, primo in Silesia Confirmato Duce, fuit nupta: *ANNAM BUGISLAI* Magni Pomeraniae Ducis filiam, *GEORGIUS I.* in Silesia Dux Breg: Domum duxit: *CATHARINA*, *FRIDERICI* pacifici, Ducis Megapolitani filia, *FRIDERICI*, in Silesia Ducis Lign: & Breg: torum intravit: *ANNA MARIA*, Princeps Anhaltina, cum *JOACHIMO FRIDERICO*, in Silesia Duce Lign: & Breg: matrimonium iniit. Inter *DOROTHEAM*, Ducissam Holsatiae, & *FRIDERICUM IV.* in Silesia Ducem Lign: & Breg: conjugii foedus sancitum est. *ANNA*, Ducissa Wurtembergiae, *JOHANNI GEORGIO*, in Silesia Duci Lignicensi & Breg. solenniter nupsit: *ADELHEIDA*, Comitissa Sulzbacensis in Bavaria, Soror Imperatricis Occidentalis *GERTRUDIS*, & Orientalis *BERCHTAE*, *BOLESLAO* Alto Duci Silesiae, solennibus nuptiarum Ceremoniis elocata fuit. *ELISABETHA*, *BOLESLAI*, majoris Poloniae Ducis filia, *HENRICO*, dicto pingvi, in Sil. Duci Lign: & Breg: connubio juncta fuit: *SALOME*, Ducissa Masovia, *CASIMIRI*, Ducis Pomeraniae vidua, *HENRICO*, dicto Stigmatico in Sil. Duci Lign: & Breg: legitimis nuptiis copulata est: *ELISABETHA*, ex domo Brandenburgica, *LUDOVICO* illuminato, in
ON
Sil.

Sil. Duci Lign. in matrimonium tradita est. Noster, verò *GEORGIUS WILHELMUS*, in lucem est editus à *CHRISTIANO*, in Silesia Duce Lign: & Breg: & *LOUYSA* Principe Anhaltina, &c. Omnium Illustrum foeminarum ornamento & gloria.

Quis hic sequeretur deliria otiosissimorum conjectorum, atque obsoletas illas gigantum fabellas retexteret, & quo capulus tanto vetustiorum imaginum examine procedat, ipsos quoque Trojanos, probrosa admodum ambitione allegaret, cum *Ascania* gentis antiquitas, jam antè aliquot seculorum decurias, ab *Ascane* Japeti nepote splendorem suum traxerit, & *Ascanium* nomen atque virtutem in Germaniam intulerit. De antiquis mortalibus, *Aegyptiis* maximè atque *Græcis*, historici commemorant, omnes Heroes & Principes, quorum virtutes mortale fastigium excefferant, Deorum progeniem credidisse; ad quas vanitates ut nos aberremus, nulla nos adigit necessitas. Quid enim nisi inusitatum ac magnum producerent, corrivati in unum tot Heroicarum familiarum fontes. Manet insitum indoli semen, quod in exempla debet succrescere, & præmaturè sæpè emicat, atque in ortus suos lætissimè confurgit. Principalibus istis conjugib⁹, *CHRISTIANO* & *LOUYSAE*, svavisimum amoris pignus vix ediderat, anni supra millesimū sexcentessimū sexagesimi, vigesima nona Septembris, cum pleriq; crederent, diem illū, non sic Illustri familiæ, ut humano generi, maximè verò Silesiæ, candidum, lætum, illustrem illuxisse. Ita, dum *LOUYSA* peperit, id effecit, ut incomparabilis animi magnitudo, liberius conspiceretur. Habet profectò admirationis aliquid, quod in illa ætatula, quæ stricturis radiorū magnam indolem significare inter ligamenta fasciarum potuit, atque adeò antè ipsa laudis initia, evidentissimè apparuit, quantis profectibus ejusdem gloria, si superasset, absolvenda fuisset. Etenim universi illi, quibus prima verba mo-

C

lien-

lientem Principem videre licuit, de futuri temporis præstantia, admirando naturæ prodigio, jam tum admonebantur. Neq; natura tam magnæ gentis surculum absq; aliqua jactantia in cunis ostentavit. Credita fuit natura inusitatum ingenii molita portentum, quod in sui admirationem omnes homines converteret, antiquissimam verò profapiam miraculosè terminaret. Quod, ut properè absolveret, alacritatem atque efficaciam præcocem ipsi induit, ut ad verendum originis suæ culmen istis appositis alis promptè ac feliciter subveheretur, ac celeritate inaudita, ipsum quoq; tempus anteverteret: quo in ipsum competere posset, quod quondam in Herculem.:

Ingenium cæleste, suis velocius annis

Surgit, & ingrata fert mala damna moræ.

Et competiit sanè, quoniam, qui in ea ætatis teneritudine, in illud exactissimæ prudentiæ culmen emerferit, vix ulli unquam est repertus. Quanquam, cum ipsum ex angustiis & umbra cuniarum vix dum elapsum, in domesticam quandam lucem, imprimis verò in Excelsæ Matris sollicitam formationem illapsum, aureos illius Sermones, aviditate inexplebili momentis pene singulis in pectus inscripsisse cogito, tum desino admirationis. Nempe, quid *Herois Anhaltina*, quid *Silesiæ Oraculum*, formaret, nisi quod originem suam referat, & admirationem hominum convertat in stuporem. Quid in lucem ederet *Ascania*, nisi omnibus ingenii dotibus, quibus Deus maximos in orbe homines ornavit, instructissimum, qui a vitam gloriam, intervallo, si viveret, longissimo post se relinqueret, & maternam quoque superaret, ultra quam ascendi posse, vix ipsa Princeps credit. Quadrahit haud dubie in illos, quod de aliis Poëta canit.:

— *Illam videns nati benefacta, fatetur*

Esse suis majora, & vinci gaudet ab illo.

Hic,

*Hic, sua præferri quæquam veter acta, parentis,
Libera fama tamen, nullisque obnoxia iussis*

In vitum præfert —

Observatum est, ingenia omnia, quæ lucem Imperiis & familiis attulere, in ipso exordio esse enata. Sic Cyrus, & Alexander, sic Augustus Cæsar, sic Clodovæus, sic Rudolphus, ingenti magnitudine posteritati præluxerunt: Hic autem ultimus virtutis Piasæ fulgor, omnium se præcedentium luminibus, parum abest quin offecerit, atq; totum decus ipsorum splendore suo obfuscaverit. Quemadmodum verò illam admirandam mentem à mortali perituroq; principio arcessere non possum; ita abs me impetrare nequeo, ut fideribus illam in solidum feram acceptum: quin imò existimo, illos nimis curiosè, quodammodò etiam impiè agere, qui omnes animi motus, ad genitalem fiderum positionem referunt, quibus nec certa vis, nec in mentis tanta imbecillitate satis perspecta. Nisi fortè ad dementiam quoq; accedit, cœlo, omnes hominum virtutes, ipsa etiam flagitia adscribere. Atamen, tantam illius militiam nihil circa nos agere, & tot desides putare flammæ, ad partem forsitan stuporis pertinet. Quis verò determinet, quid agant, & quo usq; sibi in formationem hominis, ejusque mores vindicent directionem.

Malo proindè affirmare, cœlestis animi vim, tanquam à Sole missum radium à Deo pro manare, præfagia verò vitæ futuræ, non ex genethliacis figmentis, sed ab hisce petere indiciis. Si tenellus Princeps benè erga res divinas est affectus, si erga parentes pius, si propinquus amicabile, si ab Ephoris libenter pendet, & prima doctrinæ elementa, non per horrorem & tædium, sed cum suavitate suscipit: si cum facilitate paret, & nihil habet contumax aut cervicosum; si socordix inimicus, nec in puerilia oblectamenta nimis effusus, quid enim aliud isthæc aurora spondeat, quam

serenum placidumq; diem. At enim verò ista omnia in tenerrima Principis nostri ætate, licebat observare. Unde dubitare nemo potuit, fore, ut Piastéa fortuna, quæ in decremента se commoverat, unius hujus surculi inusitata indole, & cœlesti mente sustentetur, imò rursus erigatur. Neque omninò vana fuisset ista fides, si ita Deus Piasteo nomini propitia sidera temperasset, atque incomparabilis puelli fortunam, expirantis domus fato intexuisset, ut a vitæ hæres virtutis, Regiorum confors auspiciorum, inclytus juvenum & juventutis Princeps, ad senium pertingere, & Patriam opibus, subditos beneficiis replere, tempora vero lauro incingere, ut multi Piastorum, potuisset: quod Superi, proh dolor! noluerunt.

Quoniam autem fatorum destinatio Celsissimos latebat Genitores, magna quæque de suo sibi promittebant filio, cui Deus auspicio, cœlum favore, natura ministerio, orbis applausu principalis virtutis adorem, vix nato destinasse videbantur: atque adeò eundem, quanquam præclara omnia minantem, soli naturæ committere, & tam benè tamque feliciter naturæ, suo ingenio relinquere, ne per momentum voluerunt. Non abjecerunt quidem ipsum à se, & in tugurium rurale relegarunt, ut ibidem duritiei vitæ advesceret; hæc enim antiquis miranda temporibus, nostris ne cogitatione quidem imitanda: Verum ubi prima fax rationis se promere cœpit, procul ab ejus convictu adspectuque ablegarunt, molles illas & fatuas mulieres, juxta cum collusoribus vitiosis. Prohibuerunt etiam sollicitè, ne quid oculis biberet, aut auribus hauriret, quod à moribus probatis alienum reputari potest. Fuerunt honestissimæ matronæ, quæ prima actionum rudimenta, lusiones etiam ipsas, verecundia decenti temperarunt. Data fuerunt corpori sua tempora, ut cresceret ac firmaretur, quam citissimè verò fieri potuit, Gynæceo ipsum exemerunt, ne

ne diutius justò, inter imbellis sexus oscula langvesceret: magnum in hac vitæ brevitæte spatium corpori datum esse reputantes, si pusionem sextus annus, in muliebri deprehendat pædagogio; sed citius educendum esse ex umbris illis, in Solem atq; pulverem, & formatori committendum: Meruerunt autem curis adeò præclaris, ut laudem à cordatis summam auferant, omnibus verò Principibus curatissimæ illius educationis exemplum commendetur.

Quod si enim ulli hominum generi, Principibus certè culturæ accidit inopia, idq; errore parentum, qui ætatem teneram vexari, si excolatur, putant. Venantur ipsos à teneris ungviculis servi, aut leves, aut infames, qui vitiorum propinatâ promulsive, benevolentiam Leuncolorum nundinantur. Amari se ab ipsis putant pueri, dum primas flagitiorum illecebras, prurienti in falsam libertatis imaginem naturæ suggerunt, & dum trucidant innocentiam, prompti atque obsequiosi habentur. Indè postmodum frequenter evenit, ut animi, lusionibus & deliciis occupati, & ab ipso prope modum vitæ exordio obsessi, ad omnia in univèrsum nauseent seria. Difficile autem est, isti, quanquam gravissimo malo, cum efficacia occurrere; quod enim cœteros ferocia exultantes coërcet, pœnarum atque dedecoris timor, totum fortunæ licentia Principibus eripit, nisi summa autoritate parentes in adversum nitantur. Ex his autem apparet, quanta parentibus, præsertim Principibus necessitas incumbat unum hoc curandi, ut liberi, quos nascendi conditio ad gubernandum destinavit, optimis præceptis, inde ab ipsâ infantiâ imbuantur; quod ipsum sanè, obiti Principis nostri Celsissimi Satores, ita sollicitè curarunt, ut melius atque sollicitius haud quaquam potuissent.

Quoniam verò optimam educationis spem, maximam partem penes institutores esse pernoverunt, quorum vitia & virtutes in alumnorum mores ple-

D

rumq;

rumque ferè influunt, quem filio suo præficerent, circumspèctione summa quæsierunt, non neglectis penitus consiliis illorum, quibus in ejusmodi rebus curandis aliquid tribui posse existimarunt. Idque non sine gravissima causa. Proclivis quippe via est ad perniciem populorum, malus, aut inutilis rector, principis juventuti moderandæ appositus: quemadmodum è contrario nequit negari, maximos atque præclarissimos viros, moderatorum suorum virtute, ad decus incomparabile effloruisse. Ambiunt sæpè hanc provinciam, non Atlantes, non Phœnices, non Plutarchi, sed ad omnia alia apti potius, quam ad Principem docendum: & licet artibus istis non sint instructi, absq; quibus fieri non potest, ut sublimis ista sparta ex usu Reipublicæ ornetur, quia tamen egregio nati sunt loco, admittuntur subindè, atque ita unius datur nomini, quod omnibus necesse est perire. Timendi sunt, ut qui maximè imprudentes, multo etiam magis impii, maximè verò personata pietate fallentes. Non alia res Julianum Apostatam perdidit, quam quod Libanio præceptori, eloquentiæ quidem principi, sed idolorum mancipio, tam frequens & assiduus adhæsit. Vitandi sunt leves & factiosi, qui de Principum institutione ludunt, atque ut fortunam suam adstruant, ipsorum mores destruunt, proditores blandi, qui per speciem venerationis, expilant Sanctuarium. Ejusmodi excetræ, plus sæpè ipsis parentibus exitiosi fuere, quoniam occultis artibus nefanda agitarunt scelera, puerorum cœcâ & fragili benevolentiam ad audendum illecti. Facessere hinc debent, uti artes malæ, ita mala nomina. Admovendus educando Principi vir reapse bonus, virtute inclyta, eruditione profundâ, integerrimâ fama, aulæ peritus, sed in aula innocens, multarum rerum notitiâ instructus, ingenio moderato, vigili prudentiâ, speciè honestâ, neq; à natura caractere suspecto notatâ, cui mores, sine avaritia, mens sine

sine ambitu, congressus sine fastidio, & præcipua
omnium approbatio. Quanquam, & si fortasse ejusce-
modi formator ex innumero hominum coetu eligi
possit, dubito tamen, an unius humeris tantum onus
sit imponendum. Nullus quidem tumida Persarum
probo magisteria, qui tot penè præceptores, quot vir-
tutes numerantur, tenellis admovebant animis: neq;
enim videtur toleranda, tot hominum supercilioso-
rum congeries: semper namq; multorum capitum
discordes sententiæ, dubiam indolem in diversa tra-
hunt, perindè atq; plures medici ægrum corpus reme-
diis nocentibus fatigant. Cyro quidem ajunt quatuor
fuisse Præceptores, unum, qui religionem patriam do-
ceret, alterum qui virtutes, tertium qui leges, quar-
tum, qui armorum peritiam: sed aptior Neronis edu-
catio, Burrho & Senecæ commissa: quorum ille mili-
tiâ & consiliorum laude clarus, hic eloquentiæ & opti-
marum artium existimatione celebratus. Conspira-
bant æquè in omnia decora, curæ amborum concordēs,
idque lætissimis principiis; quanquam deindè fatalis
criminum licentia, in quæ spontè suâ ruebat, fortè et-
iam incitabatur, tam benè educatum pessum dederit.
Neque verò unus hic sinister eventus in mente mea
tantum efficit, ut propterea non statuam, duos esse in-
stitutioni Principum, eodem tempore, æquali etiam
autoritate præponendos, quorum alter moderatoris,
alter præceptoris vices obeat. Et ille quidem ex e-
questri sit profapia, atque Principale subeat regimen,
Principis vitam & salutem servet, gubernet familiam,
actiones dispenset, aulam doceat & arma: Hic pieta-
tem & charitatem studiorum insinuet. Expedit au-
tem utrumque placidâ esse mente, consensu animo-
rum summo, neque inter se quocunque modo obtre-
ctare. Sint affectu in literas propenso, nec tamen co-
natu admodum ambitioso, qualis esse solet illorum,
qui se nimiâ sedulitate, onerosos potius, quàm utiles

præstant. Suggestere curent utilia, non ingerere superflua. Omnium minimè alumni sui benevolentiam, frivolis rebus aucupentur, aut studeant ad se allicere, quod est bonum omnium. Universis vita præluceant, aulæ incerta cogitent, & mentem probè muniant adversus omnem rerum humanarum aleam: Intueantur Senecam, discessum sæpè meditantem, sævisimi tandem alumni cruentis manibus oppressum.

Et horum quidem considerationem divo *CHRISTIANO*, nec non matrum prudentissimæ *LOUYSÆ*, in illo articulo, quo hæc talia versare oportebat, occurrisse, certum est. Aspiciebant vividam & vigentem ejus indolem, quem assiduis quæsitum votis feliciter genuerant: recordabantur adolescentiæ lubricum, & nimium feroces impetus: reputabant apud se, quàm sæpè accidat, ut parentes liberos suos indulgenter potius, quàm sapienter ament. Prætereà respiciebant rei domesticæ splendorem, & verebantur justè, ne in numerosa adeò familia reperiretur aliquis, qui tam bonam indolem corrumperet, & vernili blanditia atque perniciosis obsequiis everteret.

Quare maluerunt ipsum minus, quàm pro sorte suâ splendidè vivere, atq; illud potius desiderarunt, ut inter sobriæ frugalitatis, & quotidiana innocentiae exempla, procul licentiâ ac luxu, castè & integrè cum Apollinis & Musis adolesceret, ne lapis aliquando super lapidem sederet. Multis quidem suspectum, aliquibus novum, non paucis etiam irrisum, Principes Camænis mancipari, ut adgenitos ignorantiae pulveres, in consortio earundem excutiant, atque ingenium suum omnis generis liberalibus artibus excultum politumque reddant: ajunt quippe, suo ipsos fastigio jam satis esse superbos, per culturam autem literarum elatiores fieri, quin & astutos evadere ac versipelles, tenaces sui judicii, contemptores alieni. Quæ verò est ista, quamque grandis dementia, damnare æterna ignorantia.

rantia Principes, eosque servilem in modum tractare, ut sint quidem regnorum oculi, sed sine luce videant, & perindè atque jumenta, semper quidem fasces impositos ferant, sed eos nunquam spectent. Regnare, scilicet optant & oculis captos & mente, ut in cœcitate Dominorum, criminum latebras habeant, & incrementa clandestinæ fortunæ. Permittendum est Principibus, ut & ipsi homines evadant. Non sunt tamen macerandi argumentis rerum futillum, quæstionumve otiosarum deliramentis, sed per compendia viarum, per purissimos calles, quos præceptoris industria purè deterferit, facem præferente iudicio, ducendi, ut moderationi rerum publicarum citissimè advescant. Omnium minimè credendum est, Sapientiam, in opulentia memoriæ sitam, adeoq; eam esse sententiis narrationibusque ediscendis onerandam. Incitanda potius vis animi, ut doctrina suscitante, sese moveat & explicet, suisque se coronet opibus. Perindè atque videmus colores, lenocinante lucis radio, in tam varios vultus formasque rerum accendi: sic obstetricante doctrina, abstrusæ mentis semina, & latentes igniculi emicant, quibus multiplici fœtu ipsamet fœcundatur & locupletatur.

Postquam itaque factorum arbiter & moderator Deus, Celsissimum Principem, & Dominum, DN. *CHRISTIANUM*, in Silesia Ducem Lign: Breg: & Wolaviensem, ex ærumnis hujus seculi, communi omnium dolore ad se evocaverat, quanquam Princeps filius decimum & secundum annum nondum excefferat, attamen, ne quid desiderari posset in ejus educatione, aut floridior ætatula, inter domestica tantum exempla contereretur, approbantibus, quorum erat id agere, ipso etiam desiderante, factum est, ut in Minervium Francofurtanum, additis vitæ, & conscientia custodibus, nec absque apparatu mitteretur. Nactus ibidem campum, in omne genus artium, quæ

E

non

non omninò erant à fastigio ejus remotæ, impetu læto & alacri excurrerebat, & si defectum aliquem in perceptis deprehendebat, eundem curatissimè supplebat.

Dabat autem id vel maximè operam, ut animo fortunæ suæ congruentem eruditionem indueret, non privatam aliquam, sed Principem crescentem instructuram, & maximum sui fructum, in ipso usu promittentem. Putidam illam atque umbratilem neglexit, quæ subtilitates agit vanissimas, & cum scholam egreditur, prorsus atq; omninò nihil est. In prudentiam proindè solidam ita incubuit, ut, quemadmodum in Athenæo illo, omnium tum temporis nobilissimus extitit, omnium quoq; & haberetur ingeniosissimus, & esset. Quo ipso, non tantum admirationem excitaverat, virorum toto orbe celeberrimorum, qui bonas artes atq; facultates ibidem loci profitentur, verum etiam imprimis Electori Brandenburgico, *FRIEDERICO GVILIELMO*, Principi, de quo dubites, fortior sit, an sapientior, mirum in modum sese probaverat, ut tantus *Princeps*, tantis ipsum elogiis sæpiculè condecoraverit, quantis haud facilè quisquam senilem, nedum bilustrem ætatem exornare velit. Quantopere Anhaltinus Princeps, insigni isto temporis nostri ornamento exhilaratus fuerit, illi facilimè intelligunt, qui cognati sanguinis impetus, & virtute rarâ provocatos consanguineorum capiunt affectus.

Egressus, non juvenilis ætatis, sed juvenilis imperfectionis spatia, & non annorum, sed judicii maturitate propior virilitati factus, consilium quidem peregrinandi cœpit: at enim verò, cum neq; de rebus ineptè judicaret, recta etiam à pravis optimè discerneret, linguas præterea illas, quas in Europa magnificimus, calleret, neq; prudentissimis quibusvis, & rerum usu solidè subactis, non posset comparari, in Silesiam suam reversus est, ubi præter Magnam Genitricem, monitis atque exemplo apprimè profuturam, longæ industriæ
fide.

fide probatos, & multorum annorum experimentis illustres viros offendit, quos mansuetudine atque humanitate sibi conciliauit, eum imprimis in finem ut animum suum illis artibus instrueret, quibus patriam aliquando ornare, subditos suos beare, ipsi verò Cæsari sese probare posset. Et illi quidem generosam hancce stirpem sedulitate plurima fingeant, & in proceritatem decoram rectamque feliciter & fortunatè dirigebant.

Antè omnia verò sollicitè cavebant, ut ne tanto suo Principi inertiae strenuae fera agnitio relinquere-
tur, & aliquis ex tenebris protractus Bavius, ambitionis suae, aut ignorantiae spoliū ingenium tam nobile efficeret, sed ut deterfis sordibus inquinaturis, animus in cordatam habitudinem produceretur. Nulli quippe ignorabant, Sacram quandam & inviolabilem rem esse, commissam regentis arbitrio ætatem, quæ sequi quidem possit ducentem, non autem iudicare, an rectè ducatur. Neque committendum esse rati sunt, ut defloretur per inania, flos mentis usque adeò sublimis, sed in id allaborandum, ut animosè Princeps sperneret, quæ vix scenæ apta, aut umbris suis tuta, vitam olim dedecere possent: & administrationis disciplinam, imperiorum fata, factorum casus, casuum rationes, ab ipsa propè pueritia cognosceret, & arcana actionum primordia, agendi consilia, & multiformes formas, tanquam ungues suos nosceret, neque ea tamen velut mirifici soni crepitacula, plebejo stupori actutum promulgaret. Non caruerunt quoque tam nobiles curæ successu optato. Etsi enim fuissent, qui conati essent, istis consiliis fucatae pietatis specie obniti, vigilantiam tamen illorum Argorum haud quamquam elusissent, maximè cum Principis obsequiosa mens, rationem affectui semper præponeret, quoties de suo damno modestè monebatur. Effectum etiam hoc ipso est, ut, licet receptis hodiè errorum ambagi-

bus, terrarum omnes angulos non fuerit emensus, in suo tamen sapientiæ penetranti illuc profecerit, quo itineribus vix quisquam aspirare potest.

Candida proindè virtutum æstimatrix, & ingeniorum oppidò benigna cultrix, *Silesia*, felicitatis suæ augur, alumnum ita nobilem, veneratione singulari existimavit prosequendum. Videbat namque prætextatum quanquam, vestigia tamen maximorum virorum adulto gressu premere, & senilem prudentiam, in alacri adolescentis vultu suavissimè admirabatur. Illud quin imò præcipuè placebat, quod se moribus pariter atque ingenio gentis suæ aptabat: neque dubitandum, quod omnes ingenui atque cordati, ipsum magis, quàm fortunam ejus amaverint; quippe quod se talem cunctis maturè præbuit, qualem vix ægrè exprimere valerent summorum scriptorum miranda ingenia. Tam probus certè fuit, ut rarò abuti ipso potuerint, & in suos ipsum affectus detorquere, qui tamen maximam in ejus animum potentiam sibi attribuebant.

Ad exemplum certè interest, ut *GEORGIUS WILHELMUS* totus cognoscatur, quàm licet. Erat ipsi, non contemnenda firmitas, & pro ætate eximia proceritas corporis. Vernantibus membris, gratissimus nitor sese affuderat. Facies omnis florido ridebat colore, veluti quibusdam fulgetris vernantes rosas explicaret. Supercilia flaventia, disparataque inter se intervallo æquabili, nasus rectus, oculi magni, flagrantés, puroque lumine suffusi, prominula labra, genarum purpuram vincentia, crines, ingenio suo flexi, per totos humeros se effundentes, & primæ lanuginis minæ, dici non potest, quantum decus ipsi attulerint. Animus autem cœlestis, igneus, futuri providus, intentus rebus, nunquam otiosus, magnarum rerum capax, & quem nemo describere, sagaciores verò, ex moribus & actionibus possunt cognoscere. Verbo,

Et

Et formosus erat, simul & facundus Orion.

Intellexerat maturè, quanti principibus civilis dicendi ratio sit facienda, & quod ea ad regendos flectendosque animos præsidium unicum clueat: audiverat quin imò, Heroës quosdam maximos, hac laude clariuisse: & in Agamemnone dicendi quandam majestatem: in Menelao, suavem brevi loquentiam, in Nestore melleum flumen fuisse: Ulysssem fusa, Cæsarem tersa oratione polluisse: Quare, illecebra dulcissimæ illius gloriæ titillatus, suavam, quâ blandior natura ipsum donaverat, ubere frequentis lectionis fœcundabat, quæ præsidio tanto adjuta, in simul meliore quodam cœli rigata rore, ad summam pulchritudinem effloruit, ut eadem, quasi virga Mercurii instructus, mirabiles ediderit effectus.

Antequam ad suscipiendas graviores curas inducebatur, ingenii cultum exactiorem, antè omnes res alias ponebat. Distinguebat quidem labores Apollineos, eorumque severitatem, diludiis exhilarabat, neque Pyrricham, neque lanistas averfabatur: sed ubi animum refectum sentiebat, alacrior ad Musas, delicias suas, redibat.

Ex omnibus scientiis Historias delegerat, quod illæ Principem perficiant, ad omnes tamen alias aptus natus erat. Errasset autem, qui & numerorum, & Geometriæ adyta, totamque Graphicen excutere, atque Opticen jusisset, & ponderum prætereà Isorrhopicas rationes. Satis ipsi fuit Geographiam imbibisse, & ea, quæ Heroicas mentes ad astronomiam vocant. Doctrinæ excellenti admirationem præstabat, & benignitatem. Existimo quidem teneri ipsum cœpisse amœnitate hortorum, & ædificandi cura; in delectu etiam canum modicum, equis addictiorem fuisse, quos, cum vel ferocissimos, non ad usum tantum pompæ, sed ad bellum quoque & venationes regere novisset, agitatione ferarum, veterum scilicet Heroum, Herculis

F

impri-

imprimis atque Achillis, suorum etiam majorum pre-
mens vestigia, robur membrorum, & firmitatem cor-
poris, cum occasio ferebat, experiebatur. Confirma-
turus scilicet semet, ad patientiam laborum, & tole-
rantiam quarumvis tempestatum. Neque tamen Dia-
næ ita addictus erat, quin se integrum Apollini serva-
verit: idque propterea, quia otiosi esse judicabat, istis
unicè indulgere: neque studia, sed voluptates crede-
bat. Nisi fortasse in delicias, fletu subditorum madi-
das noluit, per bonitatem mentis, propendere...

Coeterum, inter celeberrima invitamenta conflu-
entium undiquaque Hospitalis jovis cultorum, sem-
per sobrius, sibi que similis manebat; cibum ad neces-
sitatem modicum sumebat, nec corrumpebat vino
valetudinem, somni verò semper parcus erat...

Interiore commercio cum summo Numine, omnes
suos successus metiebatur: & quid de Deo sentien-
dum sit, quidque eidem præstandum veniat, tenellus jam
didicerat. Nimiam in divinis curiositatem averfaba-
tur, quia Lex innocentes esse jubet, curiosos non item:
neque probabat illam nimis dejectam pietatem, pa-
rum populorum moderatori aptam, quæ scrupulis im-
plexam animi vim elidit, multumque de autoritate
minuit. Primam, gratisimamque cælo pietatem sta-
tuebat, mortali benefacere mortalem...

Voluptariam sectari vitam, ad lusus & delicias pro-
jici, animi pusilli sordidique reputabat, & quod contem-
tissimi quique de sæce plebis, ubi potuerint, faciant...
Econtrario verò statuebat, sibi per adversum iter ad
gloriam enitendum, quod quidem spinis videatur ob-
fessum, laboribus etiam & negotiis districtum sit, for-
tes tamen habeat & castas delicias, admirabili sua vita-
te conditas, & seculorum plausum provocantes.

Rara ipsi interior adversus quenquam propensio,
quam cui virtus auspiciam fecit, & si ab assentatione
fuisset intactus, nulla. Simulandi artes, quanquam be-
neficio

neficio naturæ non amaret, aliorum tamen penetrabat, & ludebat. Accusabat etiam genium seculi nostri, quod Principibus veritatem innocentiamque invidet, ac propè suffuratur. Istæ autem labe a teneris ipsi fuerunt exosa, qui conantur irreperere in penetralia Secreti Principalis, & servilibus catenis irretire dominorum mentes. De suis ministris nemini magis quam sibi credebat, quippe quod usu didicerat, bonos subindè malos esse, & sibi velificantes, alios evertere. Neque involucra frontis, neque artis delinimenta ipsum fallabant. Felices autem illos, quorum fides & industria, non per internuncios, sed ab ipso domino, nec auribus, sed oculis probantur. Imprimis id cavere satagebat, ne per blanditias obsideretur, aut etiam per dolos. Et licet sui fastigii minimè ignarus existeret, remediis tamen non obluetabatur, neque monitiones temperatas auctoritatem suam atterere putabat.

Si quid aduersus ipsum adhuc teneriorem commissum fuerat, ab ignaris potius, quam per contemptum esse factum iudicabat, quia se supra omnem contumeliam positum prudenter reputabat. Eventilare sua, totumq; prominere foras, stultitiam vocabat, & multa secum loquebatur, ubi nec aucupia aurium timebat, nec delationem invidorum. Taciturnitatem tamen non affectabat, omnis quin imò generis homines, comiter affari sciebat, non tamen ex æquo, nec illud anxie, & quæ didicerat ex scripto, sed quæ ingenium dictaverat. Orationem autem ipsius comitabatur. frontis compositio, oris, oculorum, manuum, & totius corporis decens habitus, ut nihil esset in ipso, quod non Principem, eumque magnum saperet. Iras molles & delicatas abs se ablegabat, ratus foeminarum esse, ad pusilla quævis excandescere. Consiliarios illos probabat, qui prudentiæ dexteritatem, dexteritati actuosam conjungere vigilantiam, quæ rerum momenta consideret, occasione autem nunquam desit. Et dederat.

ipsi Numen ministros sagacissimos, Senatores optimos, & efficacissimos rerum summarum actores; qui tamen Principis sui prudentiam & virtutem ultrò reverebantur, & in seriarum curarum conscientiam adhibiti, à admirabundi recedebant, sibi que non minus quàm Patriæ, de Principis virtute tam eximiâ, insigniter gratulabantur.

Cum reliquis aulicis atque familiaribus clementer agebat attenteque, ita ut neq; obsequium facilitate, neque asperitate amorem corrumpere. Luxuriam, & apparatus nimios, delicatum item atque anxium cultum prorsus detestabatur, continentia verò, & parabilis munditiei signa edebat quam plurima. Rarò digitos ejus lucentes gemmæ incendebant, quippe honestior esse malebat, quàm cultior. Etsi quoque suos intimius nosceret, nemini tamen defectus exprobrabat, sapientis esse existimans, sibi detrahere vitia, in aliis ferre. In negotiis gravis & serius, in remissione jucundus erat, & comis, sed salva dignitate. Imagines & ceras, uti majorum suorum, ita alienas, in hunc modum intuebatur, ut a vitâ quidem virtute lætaretur, cæterum, sine æmulo, ac sine exemplo ipse secum certaret, secum contenderet, quod equidem altioris instinctus signum erat certissimum. Lararium suum, non convertebat in carcerem, aut inaccessum adytum, quin potius, nisi Musis operaretur, quibus, quod dabat tempus, unicè dabat, omnibus patere, pro adgenita clementia volebat, neminem quemquam superciliosè despiciens, aut delicatè fastidians. Quam humanitatem quidem plerumque execrantur, qui suos dominos ad Capreas remittunt, aut pectoribus ipsorum, suapte naturâ placidissimis, acidissimos odiorum succos infundunt, cereasque cordium fibras, ad aversionem innocentium detorquent, rus verò suum & austeritatem ipsis perpetim instillant.

Qui interiora animi ipsius penitus introspexerunt,
constan-

constanter admodum testantur, fuisse ipsum ductum
mirifica omnes homines juvandi voluptate, sermo-
nem verò generoso candore verum ac liberum fuis-
se: atque cum memoria mirè in ipso floruerit, ex ejus
thesauro sæpè historias expromsisse, easque rebus ob-
viis dexterrimè applicuisse.

Fidem habeo testantibus, ne in prima quidem æta-
te quidquam *WILHELMUM* promississe, nisi animo
religiosè servandi, neque ejus artificium fuisse, affe-
ctatis verborum blanditiis hiantia ambientium delu-
dere vota, ne nimia quidem.

Cætera, quæ omnem eloquentiæ excedunt appara-
tum, si candida confessione omitto, facundissimè com-
mendo. Ea interim, quæ ex numeroso virtutum cho-
ragio, ut sint paucissima, delegi, testabuntur accuratè
reputantibus, & numerantibus insuper brevem, quem
in hoc stadio exegit, cursum, fuisse Principem Bregen-
sem, inusitata, & prorsus singulari, imò admiranda ma-
gnitudine mentis divinitus ornatum, artiumque præ-
cipuarum apparatu sufficiente instructum, atque ad
summarum rerum prosecutionem destinatum: nul-
lum etiam à crepundiis tempus eâ laude caruisse, quæ
decus, famam, & perpetuam memoriam conciliat.

Notum est quidem, naturam subindè admirandos
homines, maturitatis festinatione ostentasse: Otto III.
Imperator, vix annos undecim natus, solenni ritu in so-
lium Cæsareum evectus est, qui propter insignem pru-
dentiam, quæ ætatem ejus superavit, mirabilia mun-
di dicebatur. Johannes Galeacius, Mediolani Prin-
ceps, à primis pueritiæ initiis tam prudens visus est
cunctis, ut præcocis ingenii tam nobiles dotes, nun-
quam ad optimæ frugis maturitatem perventuras, cre-
deretur: Præcocia fuere ingenia, Cyri, Themistoclis,
Alcibiadis, Hircani II. Achillis, Alexandri M., Publii
Scipionis, Theodorici, Balduini III. & ex majoribus
nostri *WILHELMI*, Boleslai III. Vladislai I. Polono-
rum.

rum Regis filii, Consalvi Magni, & paucorum aliorum: Vehementer tamen dubitaverim, an quisquam, in tantilla ætate, plura tulerit atque veriora virtutis testimonia, quam postremus hic virtutis Piaſteæ fulgor. Undè ex Poëta compellari in hunc modum potuit.:

— *Hæc, quæ ſparguntur in omnes,*

In te mixta fluunt, & quæ diuiſa beatos

Perficiunt, collecta tenes:

Illud equidem certum eſt, omnia præclarisſimis tributa elogia in ipſum competere pleraque etiam ex illis, quæ in Julii Cæſaris ingenio laudantur: Qui nobiliſſima Juliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchife & Venere deducens genus: forma omnium civium excellentiſſimus, vigore animi acerrimus, munificentia effuſiſſimus, animo ſupra humanam & naturam & fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, ſed ſobrio, neq; iracundo ſimilimus, qui deniq; ſemper, & ſomno, & cibo, in vitam, non in voluptatem utebatur.

Non dubito autem fore pleroſque qui exiſtimabunt, ſecutum me eſſe illorum morem, qui affectibus ſtylum ſubmittunt. Hi poſtquam intellexerint, *GEORGIUM WILHELMUM*, quintum ſupra decimum annum vix expleviſſe, & clavum tamen jam dum tenuiſſe, mirari, non diffidere incipient. Spero etenim, in perpetua poſteriorum admiratione hoc futurum, id ætatis Principem, Maximo Principum *LEOPOLDO* probatum, atq; ab eodem tanto beneficio affectum fuiſſe, cum quo, quod comparari queat, hiftoriæ nullæ, nulli annales memorant. Et Cæſarem quidem ingenii invitaverat ſublimitas, ut novum quidquam designaret, & in eo gradu Lignicenſem Ducem collocaret, in quo ipſum non audebant ſperare etiam illi, qui incrementis ejus, nullâ affulgentis opulentia expectatione illecti, ſed ſerio favebant. Ita naturam, quan-

quanquam mirificè festinantem, *LEOPOLDI* Cæsaris felix prudentia, feliciter prævertit, & quem illa vix dum juvenem, Imperator virum fecit, facturus etiam senem, nisi ipsum diutissimè superstitem optasset.

Ab illo juvenilis majorennitatis tempore, prudentissimorum consiliorum operumque, non rudimenta aut tentamenta, sed consummata specimina, sed admiranda molimina, vidit patria, excepit fama, servabit æternitas.

Perhibuit equidem rarissimæ virtuti insigne testimonium, quæ maximarum rerum consuetudine, accuratissimè cuncta dijudicat, Aula Augusta Cæsaris; atque cum ibidem apparatusis investiretur Ceremoniis, in admirationem sui rapuit, quem totus orbis admiratur, Monarcham *LEOPOLDUM*. In eo imprimis visus est se ipsum superasse, quod fidelitatis juramentum, in tot purpuratorum, adeoque ipsius Imperatoris præsentia, non vicario, sed suo ore deposuit; ipsam verò etiam investituram concinno admodum, & pro loci Majestate adornato Sermone, incredibili præsentia animi, inaudito antè exemplo, cum Augusti auditorii applausu, & totius aulae admiratione, exoravit. Per motus est, cum ista, & spectaret & audiret, Potentissimi Regis Hispaniarum Excellentissimus Legatus, ut se dubitare diceret, num in universa Europa similis ipsi Princeps reperiat, qui in Confinio pubertatis Solonem præ se ferat. Ipse quin imò Invictissimus Imperator *LEOPOLDUS*, tantâ ipsum clementiâ cœpit amplecti, ut dubitandum nihil fuerit, plurimum ipsum spei collocasse, in hoc, quanquam vix pubere, sed probato & amato Principe.

Cujus Cælareæ gratiæ, ut insigne aliquod extaret testimonium, in Solenni Principum & Statuum Silesiæ conventu, suo ipsum loco Consiliis præesse voluit, eo imprimis fine, ut à se maturus declaratus, maturè egregium, prudentiæ atque fidelitatis aliquod speci-

men ederet. Accesserat præterea non unum omen auspiciatum regiminis Principalis felicissimo exordio. Tanto autem fallacior fortuna, quo felicior videtur. Ad summum namque felicitatis cardinem evectus, momento in occasum devertit.

Cum ab aula Cæsaris, gloria & honore onustus, & Cæsareæ gratiæ certus, in patriam erat reversus, tanta in subditorum animis lætitia surgebat, ut non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardarit, quo minus oculos insolitò spectaculo repleret. Ipsum parvuli noscere, ostentare Juvenes, mirari senes. Aliqui satis se vixisse, ipso viso, ipso recepto, aliqui, nunc magis esse vivendum, prædicabant. Fœminas etiam tunc maxima fœcunditatis suæ voluptas subibat, cum intelligerent, cui Principi cives peperissent. Cæterarum proindè rerum immemores subditi, nihil aliud, quàm dexteram appressis fatigabant osculis, faciem insatiabilibus oculis perlustrabant, & suam in Principe felicitatem adorabant. Fuit, qui aureas jugales solis supra limbum horizontis in emblemate depinxerat, ipsisq; lemma superscripserat. Illustraturus omnia. At enim verò,

Illustraturum quem dixerat omnia solem,

Lustravit subito, sed subito occubuit.

Expectabatur dehinc & veluti quodam votorum publicorum impetu flagitabatur posteritas, ut propago generosa, in oculis humani generis excelsè emineret, fortunatusq; Silesiæ Status in Piassteâ profapiâ, sub Austriaca Cedro æternùm perennaret. At enim verò, excisa est spes illa, juxta cum ipso stipite. Dum enim universæ Silesiæ flos illibatus in clarissima Metropoli, caractere venerationis, atq; charitatis ulnis, Commissarium Cæsareum *GEORGIUM WILHELMUM*, tanquam salutare sidus excepturus fuit, redux factus à recreatione, aère non admodum salubri, instituta, morbo implicatus est, quem puerilem alii, alii morbi tantum.

tum imaginem & phantasma appellant, cui etiam mature obviatum, & quicquid opis expectari à medicina potest curatissime allatum, sed conatu prorsus irritum. Quanquam enim variolæ omnem usque ad talos cutem pertraxerant, & celerrimam violentæ fermentationis remissionem promittebant, occulta tamen atque insidiatrix malignitas, tam pertinaciter est pharmacis reluctata, ut quantumvis exactissimam Medicorum solertiam, postquam quinquendium integrum vitalia dolose pertentasset, crudeliter eluserit, & suprema Principi acceleraverit.

Utinam autem ex alio aliquo, & in publicum minus pernicioso casu perdidicisse licuisset, nullum tam levem esse atque contemnendum morbum, qui spiritum elidere, & ipsam interficere vitam non queat: Et quod unusquisque nostrum non tantum vivat, quantum fortasse aut optet ipse, aut alii expectant, sed quantum cuique concedit, & admetitur ipse Deus. Experior eheu, quam verè Censorinus Cato, & quasi ex tripode prodiderit: Præmaturæ mortis signum esse, juventutem senilem: quin & intelligo, quàm certis nixa fuerit principiis Cestii de ingenio Alfi Flavii prædictio, quod tam mature magna ingenia non sint vitalia, & quod nemo unquam Sophocleum *ἀνδράγαθα* canitie candere viderit. Nescio quidem an fallacibus somniorum imaginibus, & vanissimis Onirocritarum conjecturis omnis prorsus fides deroganda veniat: fortasse tamen omine non caruit, quod haud ita multis noctibus antè, quàm fatali morbo Princeps corriperetur, visus sibi fuit dormiens, altissimi & prærupti montis, ejusque insuper crystallini radicibus adstitutus, in cujus cacumine nescio quid splendidi refulserit. Se verò, quanquam nulla vestigia hinc inde commeantium offenderit, desiderio tamen rem tam corruscam intuendi, versus culmen scandere annisum, & quanquam sæpè vacillantibus plantis, penetrasse tamen, ibique totum se consideran-

H

deran-

derandis rebus, omnem captum atque admirationem
superantibus, solerter impendisse. Sivè autem ita.,
sivè alio modo imminentis fati admonitus fuerit, cer-
tum tamen est, ipsum mentem suam mundanis rebus
subduxisse, ac primum instare supremum tempus in-
tellexit: idque haud dubiè ideò, ut quod superesset.,
spatii, totum Creatori suo daret. Ita ex solutus omni-
bus humanis curis, & terrenâ cogitatione omni, men-
tem cœlo citius immisit, quam ex hoc ergastulo di-
gressus est.

Quanquam autem earum rerum, quibus præcipua
felicitas hominum censetur, nihil ipsi defuerit: lubens
tamen & volens commigravit eò, ubi cum purissimis
spiritibus æternam se vitam peracturum, atque adeò
sceptrâ & fasces, tanquam infra se posita, sperabat con-
tempturum. Non nesciebat quidem, plurimam spem.,
ac præclarissimam de sequentibus suis annis, non pau-
cos concepisse; & eam etiam haud dubiè repræsentas-
set: sed quia auspiciis, ac ductu divino vitam se ingres-
sum esse cognoscebat, jussus inde digredi, nihil tergi-
versabatur, verum oblatam vacationem obsequenter
admodum, & quasi lætabundus amplectebatur. Et quia
jam indè ab infantilibus annis, omnes ad animum fo-
res amore Dei præmuniverat, ut nulla scelera aditum
ad ipsum reperirent, haud dubiè primum illibatæ in-
nocentiæ florem tumulto suo intaminatus intulit.,
Ipse quidem non diu in hac vita commoratus est, sua
tamen festinatione infinitas lachrymarum atque suspi-
riorum myriades expresit, illorum imprimis, qui in.,
ipso amiserunt, quicquid illi possident, quibus Prin-
cipis sui favor benignè, atque pro voto obsequitur.,

Qui antè hos ipsos quinque menses Celsissimi Prin-
cipis florem intuebantur, & quæ in eo notabatur, indo-
lis alacritatem, minimè omnium existimabant fore, ut
expirante Januario componendæ sint cœlestis animi
exuviæ. Alia omnia, eaque lætissima, & subditi, & Pa-
tria.,

tria, & ipse *Magnus LEOPOLDUS* sibi pollicebantur. At enim quàm longè ab istis Sanctis votis jacet. Inter-
cisa est, everfa est, deleta est, omnis concepta Spes, neq;
potuit ipsum, vel ætatis flos, vel vigor annorum, vel
omina fausta, vel piissima vota tueri.

Quantum deberemus immortalis Deo, si non satis
habuisset, tantum hominis portentum tam breviter
monstrare, verum munus illud confirmasset fulcris,
& in nepotes propagasset. Neque enim ad summum
in his terris, nomen obtinendum, quidquam ipsi defuit,
præter perpetuitatem, quam tamen grata posteritatis
memoria procul omnè dubium ipsi præstabit. Neque
enim amor ille ita instabilis erat & fallax, quem præ
se tulerunt illi, qui ab ingratorum detestabili colluviè
se segregarunt, ut simul atque terrâ coopertus fuerit,
memoria pariter ejus in mentibus oblitteretur.

Dici tamen intereà non potest, quam funestus ille
dies, & quàm illætabilis fuerit, in qua frigida mortis ma-
nu, *Piasæ* stirpis aureus hic ramus, paulò antè meri-
diem & diei & vitæ decerptus est: quàm lamentabile
spectaculum, Princeps *Silesiacæ* amoenitatis flos, è vitæ
gloriæque viridario ad sepulchretum transferendus,
domesticis præbuerit: quantæ tenebræ in mentibus
obortæ sint, hoc bonæ spei fidere extincto: quos plan-
ctus, quæq; lamenta ediderint, qui ægerrimè ferebant
perpetuo silentio obmutuisse, qui non nisi rosas pacis
& felicitatis locuturus erat: quàm similes expiraturis
fuerint, quibus in mentem veniebat, illam antiquis-
simam nobilitatem, quæ supra septies centenos annos,
in fastigio summarum dignitatum, adspirante cœlo flo-
ruit: quæ per longam Heroum posteritatem, atque per
multos *Poloniæ* Reges, per Principes *Silesiæ*, ejusque
summos Capitaneos, per strenuos belli Duces, per Ec-
clesiarum devotos fundatores, per bonarum artium
beneficos Statores, per Optimos Patriæ patres, per con-
tractas, cum Magnis Ducibus, cum *Daniæ*, *Poloniæ*,

Germaniæ Regibus, atque cum ipsis orientis pariter,
atque occidentis Imperatoribus affinitates, præsertim
verò per *CHRISTIANUM* felicitis memoriæ propa-
gata; quæq; per generosos traduces in Germaniam,
Daniam, Poloniam, Borusiam Hungariamq; diffusa,
& ad potentes dominatus traducta: quæ demum ab
uno omnium laudum capacissimo, Magni nominis,
majoris indolis, maximæ spei *GEORGIO WILHEL-
MO* amplificanda indies fuisset, in illo expirasse, cui
tota profopia nihil simile habuit, nihil secundum.

Quanquam, etsi tristis sit plenissimaque luctu,
tanti boni ejusque irrecuperabilis, infelix recorda-
tio: tamen istud me, ad lachrymarum clepsydram scri-
bentem, aliquantillum reficit, quod tam lucidam tam-
que benignam stellam, in cœlo patrio, velut in trans-
cursu ostensam: quod tam nobile depositum cœli,
quanquam brevisimum ejus spectaculum fuerit, ar-
gumentum sit futurum, in quo nobilissima ingenia
universas vires suas sint expressura. Vivet divinus
Princeps, in fide annalium, in memoria temporum,
in grata mente posterorum, & miraculum hoc homi-
nis nunquam desinet orbis pars melior mirari.

Epigraphe Tumuli.

Enthea quem Juvenem posuit super Æthera
Virtus

Qui nunquã Veneris geniales hauserat ignes
Ascaniæ Lygiis accensum Principis astrum
Maxima progenies sedet heu postrema Piaſti
Unica Cæsarei veneratus Numina Sceptri
Qui decus omne suis erat hic requiescit
Orion.

••(O)••



[N^o 38 180 verso]



78 M 427


ULB Halle 3
006 545 874



VD 17 K







RAPTUM DIEI

Sive

Silesiaci SOLIS festinatum occasum

Cum

ILLUSTRISSIMUS ac CELSISSIMUS

PRINCEPS ET DOMINUS

DN. GEORGIUS
WILHELMUS,

DUX IN SILESIA LIGNICENSIS BREGEN-
SIS ET WOLAVIENSIS

Piaſti Polonorum Regis

Octavus supra vigesimum nepos

ante meridiem vitæ

Lethalibus umbris eſſet immerſus

ex animo deplorans

Magnis Manibus

Supremum hocce munus obtulit

ELIAS THOMÆ.

WRATISLAVIÆ,

In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia.

expſimebat Godefridus GRÜNBERG.

AK

ELIAS THOMÆ

